

LETTRES DE LEGITIMATION DE JEAN D'ARMAGNAC COMTE DE COMMINGES,

FILS D'ARNAUD-GUILHEM DE LESCUN ET D'ANNETTE D'ARMAGNAC DE  
TERMES, PAR LOUIS XI A MURET LE 26 MAI 1463

(Archives Nationales, registre du Trésor des chartes JJ 199, n° 341, f° 204v-205r)

III<sup>C</sup>XLI

Legitimatio pro Johanne de Armaniaco Convenarum comite

Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Illegitime genitos quos vice decorat honestos nature, virtuosos nature decolorat, nam decor virtutis abscondit in ovile maculam geniture et pudicitia uteri, pudor originis abolentur. Notum igitur facimus universis, presentibus et futuris, quod licet dilectus et fidelis consanguineus noster Johannes de Armignaco comes Convenarum, filius naturalis Arnaldi Guillermi de Lescunio et Annete de Armignaco dicte de Termes tunc solute, ex illicita copula traxerit originem, casibus virtutum donis et morum venustate insignitur, que in ipso supplent merita et virtutes id quod ortus adversus abierit adeoque super deffectu natalium. Quam per eas gratiam quam nobis humiliter postulavit merito debet obtinere. Huic est quod nobis hiis actenus predictum Johannem de Armignaco consanguineum nostrum, de nostre regie potestatis plenitudine, auctoritateque regia et gracia speciali, legitimavimus et legitimacionis titulo decoramus, per presentes volumus ut ipse a modo in iudicio et extra pro legitimo habeatur et teneatur. Ac eidem concedentes cum eo dispensantesque, quanquam ipse de cohitu predicto traxerit originem, bona mobilia quecumque acquirere et jam acquisita retinere et pacifice possidere valeat, ac de eis disponere inter vivos cum testamento vel aliter, ad sue libitum voluntatis, ad successionemque dictorum patris et matris ceterorumque parentum, amicorum carnalium suorum et aliorum quorumlibet, ex testamento vel ab intestato, dummodo de eorum processerit voluntate et consensu et nisi alteri jam foret jus quesitum ; et ad quoscunque honores, [f° 205r] officia et alios actus legitimos admittatur, ac si esset de legitimo matrimonio procreatus. Quoque etiam sui liberi, si quos in futurum habeat, totaque eius posteritas de legitimo matrimonio procreanda in suis bonis quibuscunque eidem jure hereditario succedant et succedere valeant, nisi aliud quam deffectus hujus natalium repugnet, predicto deffectu quem prorsus abolemus, jure, constitutione, statuto, edito, consuetudine, usu generali vel locali regni nostri, ad hoc contrariis, nonobstantibus quibuscunque, absque eo quod propter hoc aliquam financiam nobis aut successoribus nostris solvere teneatur. Quam financiam nos, consideratione magnorum et utilium serviciorum per eum nobis et rei publice regni nostri in guerris et aliter multimode impositarum, dedimus et quittavimus, damusque et quittamus de gratia speciali, per presentes, ordinationibus ad hoc contrariis nonobstantibus quibuscunque. Quocirca dilectis et fidelibus gentibus compotorum nostrorum et thesaurariis senescallie Tholose ceterisque

justiciariis et officiariis nostris aut eorum locatenentibus, presentibus et futuris, et eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, tenore presentium, mandamus quatinus prefatum Johannem de Armignaco consanguineum nostrum et eius posteros nostris presentibus legitimacione, concessione, dono et gracia uti et gaudere paciffice facient et permittent, absque quovis inpedimento, quod, illacum foret, id reparent et ad statum pristinum et debitum reducant seu reduci faciant indilate. Visis presentibus quibus perpetue stabilitatis robur obtineant presentes manu nostra signavimus et eisdem sigillum nostrum daremus apponendum ; salvo in ceteris jure nostro et in omnibus quolibet alieno. Datum apud Muretum prope Tholosam, vicesima sexta die Maii anno Domini millesimo CCCC° LXIII°, et regni nostri secundo. Sic signatum per Regem, dominis du Lau, de Bellovisu et de Roseria et aliis presentibus. De Laloere. Visa.